



1. *Musei s. Joh. diff. in Epist. ad Romanos Cap. IX. v. 19-23. june 1652.*
2. *diff. de vera presentia corporis Christi in S. Coena. june 1652.*
3. *diff. II. de natura et definitione Ecclesie. june 1655.*
4. *diff. de resurrectione Christi a mortuis, june 1653.*
5. *Musei s. petri diff. de Baptismo, Helms. 1669.*

Zel.

Affertio Sana Doctrina

DE

**ÆTERNA DEITA-
TE DOMINI NOSTRI IESV**

CHRISTI, Arianorum veterum & recentium
blasphemijs opposita,

Quam

Divina favente gratia,

Praside

DAVIDE RVNGIO, S.S.

THEOLOGIAE DOCTORE ET PROFESSORE

in Academia VVitebergensi, publicè

defendet

M. HENRICUS SILBERMAN, ECCLE-
siae Witebergensis Archidiaconus.

Die 31. Martij boris matutinis,



WITEBERGÆ,

Typis M. Georgij Mulleri,

ANNO M. D. XCVIII.

72



LETTERNA BILTA
FRANZOSISCHER
CHRISTEN

DAVID BERVINGHOUS
VON
STAMM

DE
VON

WILHELM

VON

DE

DE

DE



*Affertio doctrinae de aeterna Deitate Jesu Christi,
blasphemijs Arianorum opposita.*

THESIS I.



Vm in Ecclesia memoriam extare veterum certaminum de doctrina utile sit, partim ut fundamenta veritatis solidius illustrata & hæreticis opposita posteritati innotescant, partim ut animi adversus conformiles opiniones blasphemias & absurdas subinde opera Diaboli repullulantes firmitus muniantur, Constitutum nobis hoc tempore est σύνολον dogmatum Arii, de Christi persona proponere, & fundamenta veræ doctrinae de IESU CHRISTI æterna Deitate paucis repetere.

II.

Post Christi in cœlos ascensionem & Spiritus S. mirandam in Apostolos effusionem cum Evangelij lux toto terrarum orbe radios suos passim diffunderet, Satanus odio Christi & Ecclesiae accensus, eidem multiplicia impedimenta tum persecutionum immanium, tum blasphemiarum hæresium obijcere, & hac ratione Ecclesiae incrementum modis omnibus remorari cœpit. Imprimis autem perniciosorum doctorum opera varias, inter se *Euseb. lib. pugnantes sparsit opiniones de Christi persona, dum Simon Ma. 3. cap. 27. Ebion, Carpocrates finxerunt Christum φιλόσοφος & 28. esse άνθρωπον: Alij contra, ut Martionitæ ac Manichæi veritatem humanæ naturæ impugnarunt.*

III.

Doctrinae vero de Christi æterna Deitate idem Diabolus vel maximè adversatus fuit, eam subinde interpolatis aliorum sententijs novo colore impugnans, Paulus enim Samosatenus *Hæreticὸς ἀνυπόστατος.* Antiochiæ Episcopus, circa annum Dñi 270. & postea Photinus *πι.* anno Christi 345. Cerinthi antiquam hæresin, Apostoli & Evangelistæ Iohannis scriptis atq; opera sopitam resuscitare non veriti, finxerunt Christum φιλόσοφος fuisse άνθρωπον, & λόγον apud Iohannem non significare personam à Patre distinctam, sed consilium & decretum Dei de creatione mundi & missione Messiae.

IV.

Huic hæresi cum Patres Synodi Antiochenæ masculè con-

Euseb. l. 7. cap. 23. tradixissent, eamq; monstratis scripturæ fundamentis radicitus convulsiſſent, exorsus tandem eodem Satana impulsore est Arius, qui τὸν λόγον in Iohanne denotare personam, quæ alibi vocetur filius Dei, liberaliter concessit, sed cuius generis hæc persona sit, num increata, an vero creata, id in controversiam vocavit.

V.

Dogma Arii de filio Dei. Docuit itaq; Arius. Deum (quem simpliciter unum essentia & persona statuit) cum decrevisset condere genus humanū, idq; à peccato per Christum liberare, antequam ad creationem huius visibilis mundi accederet, creasse Spiritum quendam rationalem, eiq; tanquam nobilissimo suo operi filij Dei & τὸν λόγον nomen imposuisse, & deinceps per eum creasse omnia alia visibilia & invisibilia, Et hunc Spiritum creatum & finitum finxit in Iohanne appellari λόγον, & in tempore incarnatum esse.

VI.

Resolutio dogmatū Arii in certa capita. Ex hoc fonte manarunt propositiones Arii & successorum, ut videre est ex Epiphano, Athanasio contra Arianos, Ambrosio, Socrate lib. 1. cap. 6. alijsq; illorum temporum scriptoribus, quorum testimonia collecta sunt contur, 4. Eccles. hist. cap. 5.

Tripart. hist. lib. 1. cap. 18. Prima; Filius Dei est mera creatura, reliquis tamen creaturis excellentior, Serm. Arri, apud August.

II. Filius Dei non est naturā filius Dei, sed adoptivè: Item, Non est verum & secundum naturam Patris Verbum, sed abusive, quia factus est Dei Verbum. Non enim ex Deo natus est, Verum ex Deo factus. Theod. lib. 1. cap. 4.

III. Filius Dei est diversæ naturæ & essentiæ à Patre.

Epl. Arii ad Alex. IV. Filius Dei non semper fuit cum patre, aut apud patrem, & fuit aliquando tempus cum non esset filius.

Et Euseb. Nicomed. V. Filius Dei nullam habet potestatem nisi ex creatione & donatione acceptam, Athanasius cont: Arria: Hilarius de Trin.

Basilius ser. de filio. VI. Filius Dei non novit arcana patris, nisi quatenus ei revelat pater. Item, Filius Dei non perfectè cognovit patrem.

VII. Filius Dei non capit totum patrē, nec fuit in cœlis apud patrem, tempore quo inter homines versarerur.

Athanas. Angust. l. 3. cont. Maxi. cap. ult. VIII. Filius Dei in carne non est adorandus: Athanasius oratione quinta contra Arianos.

IX. Filius Dei libertate voluntatis suæ in bonum & malum proclivis fuit Theod. lib. 1. cap. 9.

Filius

X. Filius Dei in sua substantia passibilis fuit & mortalis Athanasius.

XI. Deniq; Filius Dei habet ex donatione gratuita non regnum æternum sed cum ipso mundo interituum, Athanasius.

VII.

Hæc sunt Arii dogmata contra Christi æternam Deitatem quibus ille alia contra veram Christi humanitatem, & Spiritus S. Deitatem adjecit. Quæ quia à Macedonio & ab alijs hæreticis postmodum assumta & latius sparsa sunt alias volente Deo explicari poterunt. Nunc ad confutationem harum blasphemiarum accedamus.

VIII.

Ecclesia Catholica omnium seculorum credidit τὸν λόγον Verum esse Deum, ex Deo Patre ante secula ab æterno genitum, Patri ὁμοῦσιον, & natura filium & Verbum Patris æternum, liberrimum, immensæ potentia & sapientia, omnia implentem, adorandum, sanctissimum, impassibilem & immortalem, qui non aliena sed sua propria sapientia, potentia & voluntate unâ cum Patre & Spiritu S. mundum hunc creavit, & regnum tenet in omnem æternitatem duraturum. Singula hæc membra totidem propositionibus Arianorum superius annotatis opposita ex Dei Verbo breviter quantum instituti hujus ratio postulat, præcipua tantum momenta perstringentes demonstrabimus.

Orthodoxa confessio de Christi divinitate.

IX.

Primò igitur Christum Iesum non creaturam aliquam sed verum esse Deum ostendant plurima scripturæ oracula, appellationes veri Dei Christo tribuentia, quarum in numero principem locum tenet vox יהוה ejusq; contractum יהו quæ ita solius Dei propria sunt, ut nulli creaturæ in cælo aut terra competat, juxta dictum Esa. 42. Ego Iehova, hoc est nomen meum, gloriam meam alteri non dabo, neq; laudem meam sculptilibus Exod. 6. In nomine meo Iehova non apparui illis.

Ad I. Thesin Arianorū.

X.

Hoc nomen Christo Iesu manifestè tribuitur Jerem. 23. Et hoc est nomen, quo vocabunt eum (Davidis filium) Iehova iusticia nostra. Hoc Paulus ex Esa. 53. de Christo interpretatur I. Cor. 1. Christus factus est nobis à Deo iusticia, sanctificatio, redemptio.

Nomen Iehova est solius.

A 3

Ad hæc Dei.

XI.

Adhæc cum Prophetæ in V. Testamento aliquid ipsummet Iehovam dixisse fecisseve affirmant, & id ipsum Apostoli & Evangelistæ in Novo T. à Christo dictum factumve asseverant, eo ipso Christum illum Iehovam esse, qui patribus olim fuit locutus & conversatus luculentissimè demonstrant.

XII.

Sic Prophetæ testantur Iehovam apparuisse in solio sedentem Esa. 6. Missum à Iehova, Zach. 2. esse petram scandali Esa. 8. Venditum triginta argenteis Zach. 11. In deserto tentatum fuisse Psal. 95. Exod. 16 17. confixum esse Zach. 12. In altum ascendisse Psal. 68: Iudicaturum vivos & mortuos Esa. 45. Hæc & similia in Christi personam digitum intendere idem Spiritus S. Propheticæ & Apostolicæ autor scripturæ testatur Ioh. 12. Ioh. 3. Matth. 25. Eph. 4. Rom. 14.

XIII.

Eodem spectant reliquæ appellationes veri Dei Christo in scriptura attributæ, ut יהוה Pl. 110, Dominus Zebaoth. Esa. 8. 1. Pet. 2. Pl. 24. 1. Cor. 2. יהוה excelsus Psal. 47. 99. 1. Cor. 10. Hæc cū de Christo perspicuè efferantur sacris literis, divinam illius essentiam immota certitudine confirmant.

XIV.

Huc faciunt testimonia Veteris & Novi Testamenti Christum Verum Deum sonora voce confirmantia, Qualia sunt Esa. 7. Nomen eius erit Immanuel Esa. 9. Deus fortis, Esa. 35. Deus ipse veniet & salvabit vos Psal. 45. Propterea unxit te o Deus Deus tuus oleo læticiæ, præ consortibus tuis Esa. 40. rectas facite semitas Dei nostri Rom. 9. Christus est Deus super omnia benedictus in secula. Act. 20. Deus suo sanguine redemit Ecclesiam. 1. Cor. 2. Dominum gloriæ crucifixerunt 1. Tim. 3. Deus nifestatus est in carne.

XV.

In primis scripta Iohannis Evangelistæ opposita blasphemis Ebionis & Cerinthi singulis propemodum concionibus & membris hanc sententiam ingeminant, Christum verum Deum esse. Hunc enim Iohannes Evangelicæ historiæ suæ cap. 1. 1. Epist. cap. 1. appellat ὁ λόγος , quod ex infallibili eius documento liquet, quo verbum patris carnem factum esse docet. De

*Christus
vocalur
ὁ λόγος.*

λόγος

λόγῳ autem disertè affirmat quod sit & ab æterno fuerit Deus
ἢ θεὸς ἢ ὁ λόγος.

XVI.

Idem Iohannes passim introducit Christum cum Iudæis
hac de re disputantem, & divinitatis suæ majestatem contra in-
credulorum blasphemias asserentem Ioh. 5. 10. Profert Aposto-
lorum testimonia de Christo, ut Petri, Ioh. 6. Nos credimus &
cognovimus, quod tu es Christus filius Dei vivi; Thomæ, Ioh.
20. qui Christum appellat Dominum ac Deum suum. Et priorem
Epistolam cap. 5. sic concludit, Iesus Christus est verus Deus &
vita æterna.

XVII.

Ex his vanitas primæ propositionis Arii liquet, dicentis
Filium Dei esse meram creaturam, reliquis excellentiorem. Fie-
ri enim nullo modo potest, ut qui est Iehova, Verus Deus, Do-
minus gloriæ, Deus fortis, Deus super omnia benedictus in se-
cula, ut idem mera sit creatura, aut cum alijs creaturis ulla ex
parte conferendus; Non enim tanta est inter solem & tenebras,
inter totius mundi omniumq; Elementorum & partium molem
& pulvisculum minutissimum, inter Oceanum & guttam unam
aquæ quanta inter Deum creatorem & creaturam differentia, Et *Mahomet*
hic est fons Mahometicarum blasphemiarum, quibus etsi multa *de Christo*
de Christi doctrina operibus meritis & sanctitate dicuntur, tamē *multa*
ejus æterna Deitas & ex patre generatio virulentissimè exagi-
tantur, *garrit.*

XVIII.

Secunda propositio Arii æternam filij ex patre nativita- *Ad 2. hyp.*
tem impugnat, dum ait τὸν λόγον non esse naturâ filium Dei, Ne- *Arii.*
que esse secundum naturam Patris Verbum nisi abusivè, quia fa-
ctus sit Dei Verbum. Horrendam hanc blasphemiam confutant
testimonia, quæ τὸν λόγον non creatione vel adoptione, sed ex
generatione Dei filium esse docent.

XIX.

Tale est dictum Psalmi secundi: Dominus dixit ad me,
Filius meus es tu ego hodie genui te: Hæc verba non de Davidis *Calvini*
ad regiam dignitatem elevatione, Sed de Christo propriè loqui *glossare*
restantur immota Spiritus S. oracula ad Heb. 1. & 5. & Act. 13. *icitur,*
Emphasis autem verbi לֵילֵדֵי notanda est, qua non adoptio,
non ποίμα creaturæ proprium, sed generatio Dei ab æterno
facta exprimitur.

Eodem

XX.

Eodem collimat id quod Iohannes inquit cap. 1. Vidimus gloriam eius tanquam unigeniti à Patre, Qua voce distinguit Apostolus filios Dei adoptiuos, de quibus paulò ante fuerat locutus, ab hoc filio, qui solus est *μονογενής*: Illi sunt ex Deo nati, quia per incorruptibile semen verbi Dei & per spiritum S. in verbo & Sacramentis efficaciter operantem renati sunt: Christus vero est *μονογενής δεῦ*, quia à Deo Patre ab omni æternitate genitus in Deitate fratrem non habet.

1. Pet. 1.
Ioh, 3.

XXI.

Illustrat eandem appellationem attributum, quo hunc unigenitum ornat Iohannes, dum eum versu 18. appellat unigenitum filium qui est in sinu Patris. Sanè de omnibus pijs testatur Dominus, quod eos in sinu suo gestet Esa. 46. ratione nimirum paternæ curæ & protectionis, sed longè diviniore & sublimiori ratione Christus dicitur esse in sinu Patris sui, quia nimirum ab æterno à Patre genitus unius ejusdemq; cum ipso est essentiæ & substantiæ sicuti mox in tertiæ propositionis examine dicetur.

XXII.

Et Calumniam Arii de adoptione *λόγος* potentissimè refellit Epistola ad Hebræos, ex appellatione filij Dei, dum *τὸν λόγον* longè præfert angelis, qui in scriptura appellantur filij Dei Iob. 1. ipsumq; longè excellentius nomen sortitum esse præ angelis testatur cap. 1. Angeli enim non dicuntur à Deo geniti sed creati; *λόγος* vero non factus vel creatus sed genitus Psal. 2. Ioh. 1. Vnde ipsius Dei Patris præconio bis proclamatur non opus, non creatura, sed filius Dei dilectus. Et Agur plenus admiratione quærit quale nam huius filij nomen sit Pro, 30.

Christus
nō est adoptivus
Dei
filius.

Math. 3.
& 17.

XXIII.

Patet quoq; hinc impudentia Mahometi dicentis, summam esse blasphemiam, si quis dicat Deum habere filium ejusdem essentiæ. Hoc scilicet est ponere os in cælum & Deum ipsum mendacij arguere; universa scriptura veteris & Novi Testamenti contrarium testatur.

XXIV.

Cognata præcedenti propositioni est tertia, qua ab Arianis negatur Filij Dei *ὁμοσεία* cum Deo Patre, & essentiæ diversitas inter Patrem & filium asseritur, cujus delirij manifesta est absurditas.

ditas. Si enim ὁ λόγος ἴλιος Dei est, ex Patris substantia genitus necesse est eum verum Deum, Patri ὁμόουσιον esse, cum alioquin gignens & genitum eiusdem sint essentiali. Vnde Basilus Serm. 3 de Trinitate inquit: Ex ipsa filij appellatione discimus τὸν λόγον naturæ divinæ esse κοινωνόν.

XXV.

Et quia in divinis nulla est materiæ concretio, sed simplicissimum purissimumque, Ens spirituale, & universa scriptura non duos aut tres Deos, sed unum tantum Deum subinde agnoscendum & colendum inculcat Deut. 6. 1. Cor. 8. 1. Tim. 2. Filiū, quantumvis hypostaticè à Patre distinctum, unius tamen eiusdemque, essentiali cum eodem esse necesse est.

XXVI.

Et si enim ὁ λόγος alius est à Patre & Spiritu S., tamen non est aliud ab illis, neque alius est Deus. Unus quippe Iehova tantum & non duo aut tres Deut. 6. Differunt enim personæ Trinitatis non ἕσσια sed ὑποστάσει & τρόπῳ ὑπάρξεως, hoc est proprietate non essentiali sed personali, ad intra ut Augustinus loquitur considerata.

XXVII.

Hinc filius dicitur ἀπάντασμα τῆς δόξης, & χαρακτῆρ τῆς ὑποστάσεως πατρὸς Hebr. 1. quod Nazianzenus metaphoricè dictū sentit, facta translatione tum à splendore Solis, lucem eius ad amulsim exprimente, & simul cum Sole emergente, tum ab imagine sigillo expressa prototypon per omnia referente. Et Basilus inquit: Filius nihil est aliud quàm σφραγις & imago totum in se Patrem ostendens: Splendet enim in filio æterna Dei Patris deitas, potentia, sapientia & maiestas, unde imago invisibilis Dei à Paulo appellatur Col. 1.

XXVIII.

Eandem quoque essentiali suæ cum Deo Patre unitatem Christus ipse aliquoties inculcat, ut Ioh. 14. Ego in Patre & Pater in me est. Ioh. 1. Filius est in sinu Patris. Ioh. 10. & 17. Ego & Pater unum sumus, Ioh. 16. Omnia quæcunque Pater habet, mea sunt, Ioh. 17. Mea omnia tua sunt, & tua sunt mea.

XXIX.

Denique unitas essentiali Patris & filij patet ex interna utriusque actione, qua unum communem Spiritum tertiam nimirum

B

xum

Ioh. 16.
Rom. 8. rum Sacrosanctæ Triados personam ab æterno spirantes profes-
sunt, qui inde Spiritus Patris & Spiritus Christi in scripturis
appellatur.

XXX.

De eter-
nitate λό-
γος.
Quarta blasphemia Arianorum æternitatem τὸν λόγον im-
pugnat: Eam non minus lucidis scripturæ testimonijs assertam
dabimus. Generatio enim filij Dei ex Deo Patre quando facta
fit, non ex Arii cerebro, sed ex Prophero Davidis oraculo lon-
gè tutius rectiusq; cognoscetur: Is eam sic explicat: Psal: 2. Do-
minus dixit ad me, Filius meus es tu, Ego hodiè genui te. Cum
autem apud Deum non sit temporum mutatio, sed perpetua &
continuata æternitas & sempiternum Hodie, Generationem il-
lam ab æterno factam esse certissimum est.

XXXI.

Filius Dei
æternus
est.
Iohannes cap. 1. & 1. Epist. cap. 1. testatur τὸν λόγον fuisse
in principio, & Deo Patri affuisse. Nullum igitur fuit Principi-
um, neq; ullum cogitatione comprehendi potest quo non anti-
quior & prior ὁ λόγος sit, quippe qui non in principio creaturæ
primum esse cœperit, sed jam tum fuerit. Sicut pulchrè Basilus
homil. in princ: Evangelij Iohannis inquit, ἀρχὴς ἢ κορυφὴ ὅς κα-
ταλαμβάνεται.

XXXII.

Cumq; Pater ab omni æternitate fuerit Pater (neq; enim
in tempore demum cœpit esse Pater, cum Deus in sua essentia
omnis mutationis planè expers sit) consequitur filium Patri esse
συναιδίον.

XXXIII.

Idem asserit Michæas cap. 5. Vbi de Christo loquitur:
cuius egressus est ab initio à diebus æternitatis. Vbi notanda est
ἐκφρασις termini; ab initio, vel in principio, ut Iohannes loqui-
tur: Idem enim sonat cum phrasi, à diebus æternitatis. Eodem-
que sensu Esaiæ 9. Christus vocatur Pater æternitatis, & 1. Ioh.
5. Hic est verus Deus & vita æterna.

XXXIV.

Ap. 1. 22.
Eodem collimant dicta aliquoties in Apocalypsi Iohan-
nis reperita, quibus Christus se α & ω primum & novissimum
appellat. Alium igitur tempore priorem se non agnoscit.

35. Deniq;

XXXV.

Deniq; nullo scripturæ testimonio confirmari potest, Deum ex æterna atq; arcana sua luce ad creandum quippiam prodijisse ante principium conditi mundi. Nihilq; ante mundum fuit nisi Deus & pura simplicissimaq; æternitas. Disertè verò Christus testatur se non tantum fuisse ante Abrahamum, Ioh. 8. sed etiam ante mundi constitutionem, Ioh. 17. Glorifica me Pater ea gloria, quam habui apud te priusquam hic mundus fieret.

Gen. 1. v. 1.
ὁ λόγος
non est
creatus ante
mundum,
sed genitus
ab æterno.

XXXVI.

Blasphemia igitur Arianorum, quæ tanquam symbolo usi sunt, ἢν ποτέ, ὅταν ἔκ ἡν, καὶ ὅς ἔκ ὄντων τῶ ὑπόστασιν ἔλαβε universæ scripturæ repugnat. Nullum enim ποτέ dari aut fingi potest, ad quod non sit respondendum ἢν ὁ λόγος, sic enim Iohannes: In principio Erat, non cœpit esse.

Basilius
oratione
1. de filio
Nazianz.
orationibus
de filio.

XXXVIII.

Sed inquit Ariani: si genitus est non erat, & antequam gigneretur non erat? Consecutio vera est de generatione materiali, cuius principium dari posse non inficiamur. Filij Dei vero generatio quia non in materia aliqua, sed ipsa incomprehensibili ac spirituali essentia Dei ante omnia secula facta est, πῶς τὸν λόγον patri gignentem coæternum credimus & confitemur. Non est enim Deus quasi homo Num: 23. Ols. 11. Et Deus ipse respondet Arianis Esa. 43. Ante me non est formatus Deus, & post me non erit. Et quia ὁ λόγος est ἀπάντασμα τῶ πατρὸς, coæternus eidem sit necesse est, cum lux semper suum emittat splendorem.

XXXVII.

Quinta Arianorum hypothesis Filij Dei omnipotentiam hostili impetu aggreditur, dum ipsum nullam habere potestatem, nisi ex creatione & donatione acceptam affirmat. Hanc blasphemiam confutant illustrissima scripturæ testimonia Apocal: 1. Christus disertè dicitur, Omnipotens, & Esa, 9. El gibbor, Deus fortis siue potens.

De omni-
potentia
λόγος.

XXXIX.

Quia etiam opera omnipotentiae Christo tributa eius divinam essentiam arguunt, quorum maxime illustre est omnium rerum creatio, quæ per ipsius operationem facta prædicatur Gen: 1.



Christus creator. Dixit Deus, Psal. 33. Verbo Domini Cœli firmati sunt, Ioh. 1. Omnia per λόγος facta sunt, & sine ipso factum est nihil quod factum est, Ex quo potenter convincuntur Ariani, λόγος in creaturarum ordinem redigendum non esse, siquidem fieri non potest, ut ipse sibi sit κτισ ης aut πλασ ης. Nihil autem Nihil inquam omnium quæ facta sunt, sine ipso est conditum, Col: 1. Per Christum omnia condita sunt visibilia & invisibilia, etiam throni & dominationes Heb. 1. per quem & secula creavit.

XL.

Athan. cont. Arian. Nec obstat futilissima Arianorum exceptio, Christum creatam & donatam potestate omnia condidisse: dum inquirunt, Pater sibi filium ut instrumentum fecit, ut per eum omnia conderet: Nulla enim illius per donationem in λόγος collatæ potestatis, nullaq; illius instrumenti mentio est in sacris. Et quod sine scripturarum autoritate dicitur, eadem facilitate rejicitur qua proferatur. Et impossibile est creatæ & donatæ potentia, mundi totius constitutionem vendicare, repugnatq; dicto, Ego Dominus creans cœlos solus, & Deus formans terram Esa. 45.

XL I.

Christi opera divina. Ad opera creationis accedunt providentiæ divinæ ενεργήματα, quæ Christo tributa divinam ejus essentiam confirmant, ut quod dicitur omnia portare τῆς αὐτῆς δυνάμεως ῥήματα. Hebr. 1. semper unâ cum patre operari Iohan. 5.

XL II.

Præterea opera specialia in gubernatione & conservatione Ecclesiæ, in deductione populi Israëliti per mare Rubrum, atq; in deserto, in resuscitatione mortuorum, sanatione ægrorum, mutatione aquæ in vinum alijsq; miraculis innumeris divinam omnipotentiam satis demonstrant.

XL III.

Act. 3. v. 12. Hæc enim opera Christus non ut Prophetæ & Apostoli aliena κτ' ἑκ' ἰδία δυνάμει, sed propria virtute perfecit Ioh. 5. Filius suscitatur quos vult, Et facit eadem, quæ pater. Hinc in miraculis non alienam sed suam gloriâ manifestasse dicitur Ioh. 1. & 2.

XL IV.

Solus Deus potest peccata remittere Matth. 9. Idipsum ostendunt opera Mediatoris, qualia sunt benedicere omnes gentes terræ, contere caput serpentis, tollere iram Dei peccatum & mortem, donare justiciam remissionem peccatorum

rum & vitam æternam, exaudire invocantes: Hæc & similia nulli creaturæ competentia, sed solius divinæ naturæ & omnipotentiae opera, cum Christo plus millies in scriptura tribuantur, ipsum verum & omnipotentem Deum esse fatendum est.

XLV.

Sexta propositio Arianorum, Omniscientiam τὸ λόγος petulantè inficiatur, quam scriptura infallibilibus documentis confirmat, Solius enim Dei est intimos cordium humanorum recessus videre ac scire: sed Christus cogitationes hominum vidit Matt. 9. quid in homine quovis esset scivit, Ioh. 2. Omnia deniq; novit Ioh. 21.

De omni-
scientia
λόγος.

Ierem. 17.
3. Reg. 8.

XLVI.

Quin imò si in Christo omnes thesauri sapientiæ & scientiæ Dei sunt absconditi, ipsum omniscium ac verum Deum esse necesse est Coloss. 2.

XLVII.

Hanc suæ omniscientiæ vim etiam prædictione rerum futurarum testatam fecit, ut ex vaticinijs de Herosolymæ excidio, de passione & resurrectione sua, de seculi consumatione, de Antichristo patet.

Matth. 16.
24.
Luc. 13. 19.
Ioh. 5.

XLVIII.

Impudens calumnia Arianae factionis est, Filium Dei non perfectè novisse Patrem, Qui enim in sinu Patris est, qui solus Patrem novit, qui est illius perfectissima imago, & character substantiæ eius in quo. OMNES thesauri sapientiæ & scientiæ sunt absconditi, imò qui est ipsa patris sapientia, quomodo non perfectè Patrem nosset?

Ioh. 1.
Col. 1.
Heb. 1.
Col. 2.
1. Cor. 1.
Prov. 8.

XLIX.

Et quanquam nobis hac vice objectiones Arianorum dissolvere animus non est, tamen unicam ab illis omnibus decantatam, & omniscientiæ Christi oppositam tribus verbis delibare placet, qua ex verbis Christi negantis se scire diem extremum concludunt, Christum non fuisse omnium rerum conscium.

Marci 13.

L.

Ita enim intelligendum hoc dictum, ne perspicuam sententiam totius scripturæ evertat. Manifestum est Christum istic loqui de statu οἰκονομίας suæ, qua ὁ λόγος ut legatus missus est à Deo Patre non ad revelandum nobis extremi iudicij diem, sed ad redimendum genus humanum à peccato. In illis igitur verbis non est ignorantiae professio, sed tacendi dispensatio.

Hilarius.

B 3

51. Præte-

L I.

Præterea certum est in statu exinanitionis filium Dei, humana sua mente non omnia semper actu secundo contemplatum fuisse aut scivisse, quemadmodum nunc in gloria dextræ Dei & plena majestatis usurpatione. Verè igitur secundum humanam naturam eo tempore diem judicij tanquam rem ad plenissimam regij officij executionem spectantem ignoravit. Hoc autem ad omnicipientiam τὸ λόγος infringendam nihil habet momenti.

L II.

De infinitate λόγος
Heb. 1. Septima thesis Arianorum essentialiæ λόγος infinitatem negat, eamq; creatis locorū cancellis limitibusq; includit. Hanc quoq; impietate extrema laborare nullo negotio planum reddi potest. Quæ enim supra de operibus providentiæ divinæ Christo attributa dicta sunt, ea simul omnipræsentiam ejus liquido demonstrant. Siquidem enim omnia portat Verbo virtutis suæ, præsens quoq; rebus omnibus sit necesse est.

L III.

Ita in Christo dicuntur omnia consistere Colos. 1. Hoc autem solius Dei est proprium infinita essentia sua rerum omnium essentiam vitam motumq; complectentis Act. 17. Hinc Christus in terris astans Nicodemo, in cælis simul est Iohan. 3.

L IV.

Matt. 18.
Q 28. Adhæc Christus præsentiam suam pluribus in locis, imò omnibus polliceri non posset, nisi verus Deus esset, & tam ἔσις quàm ὑπόστασις nullis locorum angustijs contineretur. At promittit se uocunq; duo aut tres in nomine suo cōgregati fuerint: Nec non Apostolis totiq; Ecclesiæ usq; ad mundi consummationem ubiq; affuturum; In finita igitur essentiali ὁ λόγος sit necesse est.

L V.

Quando præterea Christus dominari in medio inimicorum dicitur Psal. 110. omnia in omnibus implere Eph. 1. & 4. quoties appellatur dextera & brachium Domini ubiq; præsens Esa. 53. Psal. 118. & Psal. 139. toties infinita τὸ λόγος essentialia manifestissimè innuitur.

L VI.

Et quod ad particulam hypotheseos Arianæ attinet, filius Dei non capit totum patrem, ejus notoria impietas omnibus patet.

set. Aut enim omnino Patrem ex quo ab æterno genitus est, non capit, quod etiam illorū opinione absurdum est, aut totum capit: Partem enim extra partem non habet; Et quia in sinu Patris est, *Iob. 1.* quia ipse in patre & pater in ipso est, quid ni totum capiat Patrem? Imò etiam hinc essentia in finitas patet, quia cum patre unum est ὁ λόγος ὁ ὁσία, ut superius est demonstratum.

LVII.

Nec est quod quenquam moveat, quod quædam dicta ex *Dicta de* quibus Christi æterna Deitas à nobis demonstratur, in suis sedi- *carnis* bus non πρώτως de divina Christi natura, sed de Christo incar- *Christi* nato, deq; naturæ assumptæ in persona Christi exaltatione ad *axaltatio-* divinam maiestatem ac gloriam loquuntur. *ne demon-*

LVIII.

Omnia enim testimonia quæ Christum secundum carnem *esse Deum,* divina potentia, sapientia, præsentia, virtute vivifica & salvifica mundandi à peccatis ornatum prædicant, simul evidenti voce to divinam Christi naturam includunt: Siquidem negari nequit, talia attributa atq; opera non creaturæ sed creatoris esse propria. Deus autem gloriam suam alteri non communicat. *Esa. 42.*

LIX.

Quando vero per carnem ὁ λόγος divinae suæ virtutis *Alio mo-* ενεργήματα exercet, tum gloriam suam non dat alteri (quia do ope- natura assumpta non est alter, nec persona à λόγῳ separata, aut ratur *separatim subsistens*) sed tantum singulari ενεργείας modo uti- *ὁ λόγος* tur, quo ante incarnationem non fuit usus. *incarna-*

LX.

Inconcussum manet hoc fundamentum, quod persona *ante in-* quæ omnia implet in omnibus, quæ ad dexteram Dei colloca- *carnatio-* ta rerum omnium gubernationi præest, quæ omnia scit, potest, *nem,* agit, quæ dat vitam æternam, redimit à peccato, & benedicit omnes gentes non φίλος ἀνθρώπων, sed simul verè & natura Deus sit.

LXI.

Alia interim est consideratio personæ quæ agit, quæ est Deus & homo, alia modi quo divinae istæ actiones atq; operationes exercentur, videlicet, in carne cum carne & per carnem ut Athanasius Dial. 5. contra Apollinaristas loquitur.

Octava

LXII.

De adoratione λόγος.
Deut. 6.
Matt. 4.
Ὁμῶς Arianorum blasphemia negat Christum in carne adorandum. Hic vertigo spiritus mendacis primò animadvertenda est. Aut enim de Christo respectu carnis non adorando loquitur, Et tum hæc assertio ad divinitatem λόγος evertendam nullius est momenti; Aut si de λόγος incarnato respectu Spiritualis essentiæ hanc thesin intellectam cupit, dicat, qua ratione eidem potentiam omnia creandi ac sustentandi largiatur, adorationem neget? Num quia solus Deus adorandus? Imo solus etiam Deus omnia creavit, omnia sustentat Esa. 42. Act. 17. Aut igitur Christo utrumq; simul largiendum, aut utrumq; adimendum erit.

LXIII.

Paria sunt credere & invocare.
 Christum vero adorandum esse religiosa adoratione, & ab omni Ecclesia tanquam verum Deum agnitum atq; invocatum fuisse, non est ex scripturæ documentis asserere difficile. Fundamentum enim invocationis est fides Rom. 10. Quomodo invocabunt si non credent? At Ecclesia omnium temporum credidit in Christum Mediatorem, in semen promissum, & per illius gratiam ac redemptionem salutem ac vitam æternam accepit. Act. 10. & 15.

LXIV.

Sic Iacob cap. 48. Geneseos Messiam promissum invocat inquiens: Angelus qui eripuit me ex omnibus malis benedicat pueris istis, Vbi non de creato angelo, sed de Christo loquitur, quem propter officium missionis angelum appellat. Nullius enim angeli est, ex omnibus liberare malis, spiritualibus, & corporalibus, sublata maledictione asserere benedictionem: sed hoc solius Messiae est officium proprium.

LXV.

Esa. 9.
 Huc faciunt dicta & facta piorum in Veteri Testamento invocantium Iehovam sibi sub persona angeli vel hominis apparentem, ut Abrahami Gen. 18. Mosis Exod. 3. Gedeonis Iud: 6. parentum Samsonis Iud: 13. Vbi filius Dei sacrificium offert & nomen suum יהוה exprimit. ὁ λόγος enim ab initio locutus est patribus Ioh. 8.

LXVI.

Idem quoq; volunt dicta cultum hunc Messiae tribuentia ut Gen. 49. In ipso gentes sperabunt, Sperandum autem est in Deo

Deo vivo 1. Tim. 6. Psal. 72. Adorabunt eum omnes reges terre: Psal. 97. Heb. 1. Adorabunt eum omnes angeli Dei, Esa. 45. De adoratione Christi testi-
Rom. 14. Christo curvabitur omne genu Apocal. 4. Procidit Ec-
clesia coram Deo & agno, Esa. 11. Radicem Iessæ gentes depre-
cabuntur. LXVII. monia.

Huc pertinent exempla eorum qui Christum in Novo Testamento leguntur invocasse & omnis generis beneficia ac liberationes in morbis humana arte insanabilibus atq; in ipsa morte expetivisse. Matt. 9. 15. Luc. 11. Act. 7.

LXVIII.

Idem quoq; honor qui debetur Patri etiam debetur filio secundum dicta Ioh. 1. Pater omne Iudicium dedit filio, ut omnes honorent filium sicut honorant Patrem 1. Ioh. 2. Qui negat filium nec Patrem habet. At Pater adorandus, Ergo & filius.

LXIX.

Ad hæc Baptismus est stipulatio conscientie cum Deo, 1. Pet. 3. Et oportet nos invocare sicut credimus & baptizamur: Est autem baptismus non tantum in nomine Patris, sed etiam Filij & Spiritus Sancti administrandus Matt. 28. Basilus de filio.

LXX.

Ideo in votis & precibus Sanctorum Deo Patri additur filius. Et plerasq; Epistolas suas sic concludunt Apostoli, ut à Christo gratiam & benedictionem Ecclesijs precentur. Vbiq; etiam nomen Christi invocari testatur Paulus 1. Cor. 1. Col. 1. Hæc tot tantaq; illustria documenta Arianorum blasphemias in fenum penitus dispellunt. 1. Cor. 16. 2. Cor. 13. Gal. 1. et 6.

LXXI.

Nona Arianorum blasphemia Filium Dei imperfectionis accusat, eumq; fingit in tali voluntatis libertate positum qualis Adamo fuit. Quod cum absolutissimæ perfectioni & bonitati eius sit adversum, ad Deitatem negandam tendit, De perfectione bonitate τὸ λόγος.

LXXII.

Adversatur autem huic quoq; delirio scriptura & ratio ipsa: Quomodo enim non sit sanctissimus, qui sanctissimi unigenitus est filius, qui cum Deo Patre unius est essentialis, qui Iehova est & verus Deus, qui etiam secundum humanam naturam omnino fructu de & peccato est vacuus, qui Legem perfecte implevit, qui est ipsa veritas, ipsa Sanctitas, ipsa iustitia? Quale enim luci commercium est cum tenebris, tale Christo cum peccato, illa istas dispellit, Esa. 53. 1. Pet. 2. Iob. 8. Iob. 14. 1. Cor. 1.

dispellit, ille hoc fugat ac tollit. Hæc omnia absolutam τὸ λόγῳ perfectionem bonitatemq, arguunt.

LXXIII.

Matth. 19. Quod autem Christus boni titulum sibi videretur derogare in-
quiens, cur me vocas bonum, nemo est bonus nisi solus Deus (ex
hac propositione nata est ista Arii blasphemia de imperfecta Chri-
sti bonitate) Ad mentem Pharisei dictum intelligitur, qui Iuda-
ica persuasione fascinatus, cum sentiret Christum tantum esse ex
hominum genere aliquem, nihilominus ipsi boni titulum ascri-
bit. Quem errorem corrigit Dominus, ita tribuens soli Deo hanc
bonitatis laudē, non ut sibi detrahat, sed ut se ei rectē agnoscen-
dum proponat q, d. Si me bonum esse statuis, age etiam crede
me Deum & Dei filium esse. Hoc si non credis, desine mihi aut ti-
bi aut alijs hominibus laudem hanc soli Deo debitam vindicare.

LXXIV.

*De immu-
tabilitate
essentia
λόγῳ.
Theodor.* Decima assertio Arianorum ex alio fonte divinitatem Chri-
sti negat, cum enim Deus sit ἀπαθής & immortalis 1. Tim. 1. &
6. occasionem ex Christi morte desumerunt Ariani impugnan-
dæ Deitatis λόγῳ, fingentes τὸν λόγον in substantia sua passibilem
& mortalem. LXXV.

*Dial. ἀπα-
θής.
1. Pet. 2.
1. Cor. 2.
Act. 20.* Etsi autem Filium Dei in carne assumpta verē & realiter pas-
sum, Dominum gloriæ crucifixum esse, & Deum sanguine suo
Ecclesiam redemisse confitemur: Tamen passionem & mortem
Christi ad ipsam divinitatis substantiam, tribus personis Trinita-
tis communem, ita referre, ut æterna & immutabilis divina essen-
tia mutationem aut alterationem aliquā sustinuisse credatur, est
veritatem divinæ naturæ penitus destruere & abrogare, & loco
Dei idolum colere. LXXVI.

*ὁ λόγος
ἀπαθής.* Absurditas igitur & impietas Arianæ hypothesens patet ex
his scripturæ testimonijs: Christus ὁ λόγος non tantum in æter-
num vivit, sed est ipsa vita æterna 1. Ioh. 1. & 5. Ioh. 14. Ergo
non est passibilis & mortalis. LXXVII.

Ioh. 1. 6. ὁ λόγος est lux mundi illuminans hominem, est panis vitæ
qui de cœlo descendit, & dat vitam mundo, est vivificator con-
scientiarum: Qua ratione igitur qui alijs vitam largitur, ipse pas-
sionibus & morti esset obnoxius?

LXXVIII.

Cumq; superius demonstratum sit, τὸν λόγον Verum esse Deū:
De Deo autem affirmet scriptura quod sit mutationis omnis ex-
pers.

pers Mal. 3. quod sit immortalis 1. Tim. 1. quod solus habeat im- 1. Tim. 6.
mortalitatem, & habiter lucem in accessam: Quid ni hæc elogia
etiam Filio Dei tribuerentur, quippe quæ Regem Regum & Do-
minum Dominantium scriptura Apoc. 17. & 19. appellat.

LXXIX.

Quæcumq; igitur in historia Evangelica leguntur Christi
παθήματα ut litis, fames, defatigatio, tremor, læticia, tristitia,
flagellatio, angores & mors; Ea non substantiam τὸ λόγος passi-
bilem constituunt, ut fingunt Ariani, sed tantum personam τὸ
λόγος incarnatam in carne assumpta talium παθημάτων verè &
personaliter κοινωνοῦ factam demonstrant.

LXXX.

Postrema Arianorum hypothesis ex consideratione regni &
dominij Christi divinitatem ejusdem evertere conatur: Quia
enim regnum illud Christo à Patre traditum dicitur, concludit
Arius id filio non competere jure hæreditario aut proprietatis: *De regno
& domi-
nio Christi.
Matt. 28.*
Quia vicissim Christus regnum Patri suo traditurus ac redditu-
rus docetur, sentit Arius dominium Christi non fore æternum, *1. Cor. 15.*
sed cum hoc mundo interituum.

LXXXI.

Hoc in argumento tanquam in speculo contemplantur se
Calviniani doctores, Christo secundum humanam naturam de-
trahentes gloriam majestatis divinæ, & donationem potestatis
δυνάμειος, κατὰς gloriæ honoris referentes ad divinam Christi
naturam, vel in sua essentia vel ratione officij Mediatoris consi-
deratam. Ex hoc enim fonte Arianismus in Oriente prodijisse
certum est.

LXXXII.

Expedita vero ad Arianorum blasphemias responsio est,
aliam esse rationem in Christo θεολογίας, aliam οἰκονομίας. Si de
illa quaeritur, deq; divinæ essentiae veritate, certum est, eum qui
altissimus est, non posse exaltari, eum qui Deo æqualis est, non
posse Deo minorem judicari, Eum qui Deus ipse & Iehova est
æternus, nulli^o imperij accessione locupletiolem posse fieri, Eum
qui omnia nutu suo & potentia creavit & sustentat, non posse
non rerum à se conditarum perpetuò esse & manere Dominum,

LXXXIII.

Quod autè Christus in scriptura dicitur Factus Dominus Act.
2. minor patre, Ioh. 14. constitutus Rex omnium gentiū Psal. 2.
accepisse

*Nazianze-
nus Orat.
1. de filio.
Ioh. 5.
Phil. 2.*

accepisse ex donatione rerum omnium dominum Psal. 8. Matt. 11. & 28. Heb. 2. Id κατ' οὐκονομίαν de filio incarnato intelligendum est, non secundum divinam, sed secundum naturam assumptam.

LXXXIV.

1. Cor. 15.
Luc. 1.
Ps. 72. 110.
Neq; dictum Pauli quo Christus regnum Deo Patri traditur dicitur, repugnat dicto Gabrielis Archangeli, quo eidem Christo regnum promittitur æternum, aut Davidis quo Christo Sacerdotium assignatur æternum. Christus enim est & in æternum mansurus est Rex & Sacerdos Ecclesiæ suæ & Dominus rerum conditarum.

LXXXV.

Pf. 8.
1. Cor. 15
Traditio igitur regni de qua Paulus agit ad modum dominij pertinet & finem gubernationis Ecclesiæ factæ hac forma, nimirum per verbum Sacramenta & crucem innuit. Tum enim Ecclesia in plenam gloriæ & sapientiæ possessionem deducta his fidei adminiculis non amplius indigebit.

LXXXVI.

Ex his itaq; quæ hætenus annotata sunt pius animus cui veritas Scripturæ sacrae, Christi gloria, & animæ suæ salus cordi est, certò contra Samosatani & Arii furores concludere potest, Iesum Christum Salvatorem nostrum non tantum hominem esse, anima rationali & corpore præditum, ex Maria virgine natum, sed etiam certum ὑψίστου fuisse ante incarnationem; non quoddam creatum aut finitum, sed increatum & æternum, ac proinde Verum Deum Patri consubstantialem & coæternum, vera fide agnoscendum & religiosa adoratione invocandum ac colendum.

Corollarium.

Calviniani doctores qui apertissima Veteris Testamenti testimonia de divinitate Christi Iudaicis glossis conspurcata quantum in se est infringunt, quiq; dicta de datis & ἕξω κατ' in tempore, ad divinam Christi naturam referunt, Etsi ipsi Ariani non sunt, Tamen hac licentia pervertendi scripturas latam fenestram ad nequitiam & hæresin Ariani patefaciunt.

Soli Deo Gloria.

AB 22 841 (1)

ULB Halle 3
002 043 793




Sb.

W19

Hilf.








Z. 1.

Assertio Sanae Doctrinae
DE
ÆTERNA DEITATE
TE DOMINI NOSTRI IESU
CHRISTI, Arianorum veterum & recentium
blasphemijs opposita,
Quam
Divina favente gratia,
Præside
DAVIDE RVNGIO, S.S.
THEOLOGIAE DOCTORE ET PROFESSORE
in Academia VVitebergensi, publicè
defendet
M. HENRICUS SILBERMAN, ECCLE-
siæ Witebergensis Archidiaconus.
Die 31. Martij boris matutinis,



WITEBERGÆ,
Typis M. Georgij Mulleri,
ANNO M. D. XCVIII.

92